

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 106. Franciscus Sfortia in Mediolanensem Urbem receptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

di nulla spes esset, adversus mœnia, Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
 quæ arcis opponebantur, prægrandes  
 duos tormentorum suggestus erigi juf-  
 sit, brevique tanta muri ruina facta, ut  
 Helvetii, deficientibus aliis peditibus  
 assultum tentare juberentur, qui tamen  
 nec jussis nec precibus flexi nullatenus  
 obtemperabant: „ Non enim inquie-  
 bant, nisi in plena acie contra hostes  
 dimicare obstricti sumus. „ Ergo Mo-  
 rentiacus Cataphractos suos, ut equis  
 desilirent, jubere compulsus, ipsus ante  
 eos præibat, ac transiens muris ur-  
 bem cepit, cunctis, qui in ea erant,  
 aut promiscue trucidatis, aut captis:  
 nec ulli vitæ gratiam fecerunt Galli, ni-  
 si Philippo Tornellio civitatis Guberna-  
 tori, reliquos autem omnes jugularunt,  
 ut Novarrensum crudelitatem plecterent,  
 qua inscisos Gallorum adhuc respiran-  
 tium ventres avena replebant, ut exin-  
 de eorum equi pabulum sumerent. Post  
 aliquot tempus ipse Lescunus Marescal-  
 lus cum suo comitatu advenit, junctis-  
 que Baiardi Equitis & Morentiaci copiis  
 Viglebanum in suam quoque potestatem  
 rededit.

### §. CVI.

*Franciscus Sforzia in Mediolanensem  
 urbem receptus.*

Interea cum Prosper Columna nil cer-  
 M 4 tius

**Sacul. XVI**  
**A.C. 1522**

*Petr. de Ang*  
ep. 760.  
*Capella l. 2*

tius haberet, quam quod Lautrecus ante Morentiaci adventum urbem minime aggressurus esset, Mediolano ad Sfortiam perscripsit, suadens, ut quantocius cum sex Germanorum peditum millibus, quos secum ducebat, captata occasione urbem accederet. Ipse etiam Prosper medio itinere eidem obviam processit, ac Sfortiam exceptit, cunctis civibus atque incolis in ingentes lætitiae testificationes effusis; gaudebant enim omnes, quod rursum pristini Principis sui Filium recipere possent.

### §. CVII.

*Lautrecus cæptam Papiæ obsidionem solvere coactus.*

**H**is interim gestis Lautrecus castris Cassano motis ad Binafensem urbem, quæ Papiam & Mediolanum æquali spatio interfecat, substitit; nam hoc situ occupato Papiam facile armis suis subjiciendam existimabat; nunciatum enim ei erat, urbem, cui Mantuanus Marchio præerat, nonnisi exiguo militum præsidio a Sfortia fuisse munitam: igitur per tormentorum vim satis ampio murorum hiatu patefacto, sui milites Venetis conjuncti assaltum tentant, sed non sine grandi suorum dispendio repelluntur, nec magis secundus arridebat

suc-